



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

27. Junii. Compendiosissima, & ferè sola ad sanctitatem via est, abhorrere
ab omnibus, quæ mundus amat, & amplectitur. S. Ignat. in Exam. c. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

tes? cujus nec amor perire, nec ipse potest. Nequit leviter voluntatem mutare, nec mutari. Nulla subit illum amantes amandi pœnitentia.

Alius amor semper inconstans est; potest enim amatus vel invitus cessare ab amore tui; potest ipse perire, licet amor in vivente periturus non fuisset. Felicitas non est, quæ perpetua non est.

Pacta dissolvi alia possunt, quoniam eadem voluntate, quâ fiunt, rescindi possunt; in amoris autem contractu, cum eadem voluntas materia sit contractûs, voluntas alienatur, jam non sui Domina, jus pœnitentia amittit.

27. Junii.

Compendiosissima, & ferè sola ad sanctitatem via est, abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat, & amplectitur. S. Ignat. in Exam. c. 4.

QUæ vetus Romani Sapientis querela fuit, eadem hodie est virtutis: malorum causas esse, quòd exemplis, non ratione cõponamur. Vivimus, ut passim vivitur.

Non quâ itur, sed quâ eundum sit, attendit, qui tendit ad perfectionem; ille pe-

peritum se nauclerum probat, qui etiam
contra torrentem niti novit.

Noli sapere cum vulgo, nec continuo
imitandum credas, quod popularis æsti-
matio suadet, quasi verò vitium non sit,
quidquid multorum exempla excusant.
Æstimanda sunt iudicia, non numeranda.

Documento aliena vitia sint ad caute-
lam, non incitamento ad sequelam. Qui
malis dissimilis esse veretur, evadit malus.
Pauci sunt, imò unus Dei Filius, cujus ex-
empla pro regula morum assumantur.

28. Junii.

*Mensura profectus ex vultu, gestibus, natu-
ra facilitate, aut amore solitudinis male
sumitur, cum à vi, quam sibi quisque in-
fert, sit desumenda. S. Ignat. ap. Mass.*

IGnava sanctitas est, quæ laudem captat
ex iis, quæ plùs stupor quidam natura,
quàm virtus operatur. Nisi tu etiam li-
gnum sanctum esse dicas, quod nec ira
unquam, nec libidine commovetur,

An, & quam actio quævis laudem me-
reatur, illud sit argumento, quantum sibi
quisq; operans vim, quàmq; è sincero mo-
tivo inferat, Arduitas hìc pretium facit.

Quo